

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

LVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

dius quartus in ditionem suam primum sit reversus. Deinde Regimina divisa sunt, & distinctæ gubernationes ^{regi dextera} Duplex enim est Regio hujus Marchionatus. Internam, quæ Noribergensium Dynastiæ vicina est, Princeps ipse tenet. Hanc superiorem Ithacam, quam nos incolimus, quamque propter montana ego Ithuream & Trachonitidem nostram appellare soleo, regunt principis loco præfectus, & Consilarii provinciales, qui antequam aliquid in magnis & arduis negotiis pronunciant vel statuunt, omnia ad Principem referunt. Quare fieri solet, ut ultrò citròque missandis literis & communicandis consiliis deliberationes extrahantur: quod etiam in hac mea causa factum est, in qua sæpius hinc inde missæ sunt literæ, quarum ego aliquas vidi, sed propter necessarias Principis profectiones, ut dictum est, ipso absente, nondum certi aliquid decretum est. Postquam autem nunc Illustriss. princeps domum rediit, nullam amplius moram intercessuram spero, quin respondeatur: ut sciam, quid mihi sit agendum. Hæc ad te per eundem Tabellarium, qui nuper in proximis literis nostris invicem reddendis, operam suam nobis præstitit, redeuntem ex silesia ad vos & Basileam, scribere visum fuit: ut scires, me hoc negotium non remissè agere, nec curam omnem, aut cogitationem illius deposuisse. Video enim vos quoque serio rem agere, aut urgere, quod ex proximis binis literis tuis satis intellexi: quarum priores decimo die mensis Januarii mihi redditæ sunt, alteræ verò 8. Martii, quas Bayreuthum à meis missas accepi, oppidum sex miliaribus à nobis distans, ubi tum visitandarum Ecclesiarum gratia agebam. Quam primum verò declaraverit Illustriss. Princeps sententiam suam, ne utrinque diutius hæreamus, incertis sententiis fluctuantes, significabo vobis, quemadmodum initio primis meis literis pollicitus sum, quidnam decreverim, quidve mihi faciendum arbitretur. Hactenus profectò nondum certi aliquid statuere licuit. Quòcirca te, micariss. Domine Marbachi, reverenter oro, ut hanc exiguam moram non molestè feras: Dominosque Scholarchas, Amplissimos viros, ut idem faciant, meo nomine exores. Vobis autem omnia mea officia defero: meque & tutelæ & patrocinio vestro commendo. Filius DEI Ecclesiam vestram tueatur, & defendat, vosque omnes clementer conservet: Amen. Datæ postidie Divi Marc. Evangelistæ, 26. Aprilis. Anno Chr. 1564.

Tuus ex animo

Streitbergerus.

LVII.

Salus per Filium DEI: Reverende & clarissime Vir, Domine & amico
Sicut observantia colende. Etsi multum intarest in novis conjunctionibus,

bus, qualis primus sit aditus & qua commendatione quasi fores amicitiae aperiantur; Tamen cum sine ulla dubitatione verissimum sit, quod in Epistola ad Hebraeos scriptum est, Filium DEI Dominum nostrum Jesum Christum exauditum esse ab aeterno patre propter *invidiam*, & ipse ingenti motu atque ardore petierit in extremo agone, ut unum simus in ipso, nolo me exquisita ratione scribendi in notitiam & amicitiam tuam insinuare, sumus enim beneficentia ardentissimae & efficacissimae precationis Filii DEI conjuncti societate confessionis & invocationis, quam haud dubie etiam vera animorum benevolentia sequitur. Etsi autem in vita aeterna, ubi remotis omnibus impedimentis DEUS erit omnia in omnibus, consuetudo inter beatos dulcissima erit, tamen donec in hujus mortalis vitae militia sumus, declarem inter nos mutuam benevolentiam officii, quae praestari possunt & in his etiam Ecclesiae prodesse studeamus. Non autem dubito, te pro excellenti pietate tua agnoscere infingnem bonitatem Dei, quod etiam in his barbaricis provinciis ad septentrionem spectantibus, Evangelii voce sibi Ecclesiam colligit & pro hoc ingenti beneficio etiam nobiscum Deo gratias agere & simul orare, ut nunc repressis & sedatis inquietorum hominum certaminibus, etiam eos reprimat Deus, qui in hac vicinia bella moliuntur exitiosa Ecclesiis & Scholis, & lucem Evangelii inter nos puram & inviolatam conservet. Mittuntur autem nunc in inclytum Gymnasium vestrum duo adolescentes, fratres germani, filii Viri Integerrimi & optimi, Balthazaris Gansii, qui propter fidem & virtutem ab Illustrissimo Principe nostro Duce Borussiae, &c. ad secretissima consilia adhiberi solet, hic cum per me veller filiis suis ad te aditum pateferi, & tibi praecipue commendatos esse, nolui ipsius honestissimae voluntati deesse. A te igitur reverenter peto, ut eos benevolentia tua complectaris, & eis adjumento sis, ut eum studiorum & morum cursum teneant, qui spei optimi parentis aliquando responderent, ut videlicet patriae omnium laudatissimae ecclesiae ornamento & usui esse possint. Quicquid studii aut officii in hos adolescentes contuleris, id DEO consecratum erit, & pater, Vir optimus, summo studio perficiet, ut te homini per tuo & grato officium posuisse intelligas. Me quoque & adolescentes tibi perpetuo devincies. Filium DEI Dominum nostrum Jesum Christum, custodem Ecclesiae suae & ducem agminis infantium & lactentium, inenarrabili gemitu oro, ut omnes nos doceat & gubernet & vulnera Ecclesiae sanet & multorum animos ad piam concordiam flectat: Te etiam amanter oro, ut hanc *meam* scribendi in optimam partem accipias & me in numero eorum habeas, qui te amant & colunt, utque intelligam, hoc officium literarum tibi non contrarium fuisse, quaeso, ut si tibi commo- dum videbitur, aliquando ad me rescribas. Bene, vale, Vir Reverende

& tuis præcibus nostros labores & pericula DEO commenda. Datæ Regiomonti Borussæ, 8. Cal. Maji Ao. LXIII.

Mitto ad te pagellas, testes rationis studiorum in nostra schola.

R. Dig. Tuam ex animo colens

David Voit, Theol. D. &
Professor Academiæ Regiomontanæ.



LIIX.

S. D. Quod jamdudum optavi, summisque votis meis expetivi, veniret ad me aliquis, ex quo & conditionem & naturam omnium rerum Argentinensium, formamque studiorum in Gymnasio, & administrationem muneris totius Ecclesiastici cognoscerem : id ex animi mei sententia contigit, cum ad nos se contulisset Dominus Paulus Cherlerus, doctissimus Juvenis, cum Comite suo Marco, adolescente, per quem literarum tuarum, Reverende Domine Doctor, vir clarissime, & amicorum omnium observantissime, redditio facta est. Quanquam enim ex doctissimi & eloquentiss. hominis, Domini Sturmii libro, quem de norma doctrinæ in Gymnasio vestro multis jam annis usitata edidit, olim à me lecto, pleraque mihi constabant, nihil tamen jucundius aut suavius accidere potuit, quam audire eadem, & alia, quæ volebam, ex iis, qui *ἀπίπται* commemorare talia, & rationem gubernationis studiorum in Gymnasio, *καὶ τὸ ἐκκλησιαστικὸν ἡμετέριον πολιτικόν* docere possent. Sed illud mihi, ut verum fatear, per molestè accidit, quod suavitatem illam & præcepit & interrupit: Quia tam exoptati colloquii usura non diutius, quàm una aut altera horula frui licuit, cum ego audiendo ejusmodi, multis diebus satiari vel expleri non possim. Quare DEUM oro, ut ad satisfaciendum huic meæ honestissimæ cupiditati, aliam non minus præclaram occasionem, quam hæc fuit, quàm citissime donet. Inde facile tibi, Cariss. frater, & amice colendissime, quemadmodum arbitror, apparebit, quo sim animo erga vos, quos & amo vehementissimè, & in ipso adeo pectore gesto. Atque utinam verbis exprimere possim illam animi mei erga vos propensionem! Corde enim ex animo vos amantissimo prosequor, quos pedibus nondum assequi licuit. Quem de conjuge, liberis, patria, parentibus, propinquisque & necessariis affectum induere solemus, cum diuturna aliqua absentia nostrum de iis animum excruciat, inter spem, metumque ambigüe hærentem, ac tuta etiam omnia timentem : Eundem profecto paravit mihi hæctenus affectum cura & sollicitudo mea de vobis, in quotidianis & perpetuis cogitationibus meis

☩